

Pietre, Jean - candidat / Blackwood, Henry - président. - An visceribus nutritiis aestuantibus Metallicarum aquarum potus salubris ?

1633.

Paris : Prostant Exemplaria apud Nicolaum Boisset, Typographum, in Platea Malbertina, ad insigne Divi Stephani

Cote : ms 2322 n°33



QVÆSTIO MEDICA,

QVODLIBETARIIS DISPVATIONIBVS
MANE DISCVTIENDA IN SCHOLIS
Medicorum, die Iouis, 17. Nouembris,

M. HENRICO BLACVOD, Doctore Medico,
Moderatore, Professore & Medico Regio.

*An visceribus nutritijs aestuantibus Metallicarum
aquarum potus salubris?*

I.



ISCERA quæ nutriendo corpori appa-
rant & adornant cibos, omnia calent natu-
râ suâ: quandiu modum seruat calor, ea
bellè constituta habentur, vt æstimatione
caloris viscerum integritas, vitiûmve ter-
minetur. At ille sapius superat. Equidem
incautâ victus ratione non rarò squallent
viscera illuue, quæ tandem putredine accenditur: ea vel
suffusa, obducto veluti limo, extima tenet viscera: vel eo-
rum exilibus abstrusa venis, altiûsque condita parit illam,
Medicis percelebrem, obstructionem, plurimorum morbo-
rum quasi parentem. Calore crassior fit, viscidior, & acrior

A iii

illuuijs, vt ea ægrè emendari possit, nec facilè queat ob-
structio summoueri: vnde morborum mora diuturnior, &
peruicacia; vt illi vel medendo ægrescant, vel vixdesinant,
& ægris ferè commoriantur.

II.

EDAX calor viscerum medullas sensim exest, & eorum
succo alitur: vndè exarescunt viscera, tumque fit
morbus, qui *ai curm* dicitur, & ille grauissimus: sicca
viscerum intemperies, quæ, etiam leuis, non leuem reli-
quo corpori infert noxam; ipsa perdifficilis curatu, si inge-
nitum vtrumque humorem depastus fuerit calor: vt ad vi-
tam referat maximè, viscera non exsiccati.

III.

IN terrarum abditis, quæ per metalla decurrunt aquæ,
vim & Facultatem Metallorum adeptæ, Metallicæ di-
cuntur: eæ quandoque prorumpunt, tum emicant fon-
tes, quos plurimis corporis vitiis mederi plerique prædi-
cant: tactu illi vel calidi, vel egelidi, vel frigidi sunt: sapo-
re vario, vt alij sal, alij nitrum, alij ferrum, alij æs, alij bitu-
men, alij chalcantum, &c. sapiant: qualescunque fuerint,
calore, & siccitate insignes sunt, vt ex his epota aqua calo-
ris molestias non sedet, humoris verò insiti non minimum
absumat, & tabem accersat: quippe quæ quasi per calcem,
& cinerem exustæ terræ, è quâ generantur metalla, manet
& percoletur; vt verè lixiuia dici possit: quæ tamen viscera
bile tincta eluere ipsa per se nequeat. Vnus natiuus calor
id præstare valet; vt vigente febre linguæ fuliginem, de-
tergentium etiam acriorum vsu, detrahare perperam tenta-
ret Medicus.

AQUÆ Metallicae duræ sunt, nec nisi ægrè coctione emolliri queunt, vt caloris natiui vim penè omnem superent: vrinas nec illæ cient, aluumve mouent: liberaliùs etiam epotæ, quandoque morantur, & morandi causam, ductuum obstructionem, amouere non valent: quin eam adaugent, ramentorum metallicorum congerie: vnde graues exoriantur affectus febris, seuissimus capitis dolor, colicus cruciatus & ille nothus, icterus, cholera: nec illæ innoxia licet effuant, etiam citissimè; vt ipso excursu suum effundant ardorem, iamque insitam visceribus feruidam *st. Scov*, & eius sobolem sterilitatem, hystericos, atque hypochondriacos affectus confirmant. Haustum largiùs merum, quamuis post haud multo effusum illud omne fuerit vomitu, secessu, vrinis, ecce mentem, sensus consopit omnes, soluit artus. Pleuritidis materia, quæ per pulmoneſ celeriter permeat, vt expectoretur, eos accendit & inflammat.

V.

QVI ex feruore viscerum laborant, si fortè metallicos fontes adierint, belli quandoque reuertuntur, vt estum ferant leuiùs, habitiores etiam euadant. An morbi iam senescentis remissione, administratis antea remediis, quæ feruorem temperarint? atque tum natura firmior, tuisque iam munita præſidiis, causam morbi omnem depellit, Metallicarum etiam aquarum vim malignam elidit? Contigit, vt estu febrili diu, multumque iactatus, febre tandem deferuescente, meri plurimum ebiberit, atque ex eo habuerit meliùs, & febre omninò fuerit liberatus: eone cuius ardore febrili conflagranti, vini vsum prudens Medicus consuleret? aquæ quouis metallo medicatæ, potior non est ratio: refrigerandi vi nulla pollet: illius haustu quæuis intermittens febris, etiam contumax, excandescit, fitque pernicacior: bilis in cholericæ alui perturbatione susdeque maiore fertur impetu: fotu efferatur erysipelas, serpitque il-

126 lud, & manat latius. Nullus extat morbus, quem humorum
æstus concitarit, qui Metallicis aquis non exacerbetur.

*Ergo visceribus nutritiis aestuantibus Metallicarum aquarum
potus non est salubris?*

Proponebat Lutetiæ IOANNES PIETRE, Parisinus,
Anno R. S. H. M. DC. XXXIII.

Domini Doctores disputaturi.

M. Gilbertus Puyson.	M. Hugo Chastles.	M. Henricus Blacud Prof.
M. Victor Pallu.	M. Nicolaus Heliot.	M. Gabriel Biard.
M. Georgius Ioudouyn.	M. Ioannes Facherot.	M. Ioannes Desgorris. M.R.

LVTETIÆ PARISIORVM.

Prostant exemplaria apud NICOLAVM BOISSET,
Typographum, in Platea Malbertina,
ad insigne Diui Stephani.

M. DC. XLVII.

*cette thèse est la 790^e du tome V in folio.
en avant du conseil du 16 Dec. 1633 en sorte
qu'elle ne fut soutenue. il fut sollicité par
Blouard, alors premier médecin, qui prétendit
qu'elle attaquoit sa juridiction sur les cas
criminelz du royaume.*